Omnis nascimur eiulantes ut nature miseriam exprimamus. Masculus enim recenter natus dicit "A," femina "E." Dicentes "E" vel "A" quotquot nascuntur ab Eva." Quid est igitur "Eva"? Utrum dolentis est interiectio, doloris exprimens magnitudinem. Hinc enim ante peccatum virago, post peccatum "Eva" meruit appellari, ex quo sibi dictum audivit: "In dolore paries." Non est dolor sicut parturientis: unde Rachel pre nimio dolore partus interiit et, moriens, "vocavit nomen filii sui Bennoni, id est, filius doloris." Uxor Phinees subitis doloribus irruentibus peperit simul ac periiit, et ipso mortis articulo vocavit filium Hichaboth. "Mulier autem, ut naufragus, cum parit tristiciam habet; cum vero peperit masculum, iam non meminit pressure propter gaudium quia natus est homo in mundum." Concipit ergo cum immundicia et fetore, parit cum tristitia et dolore, nutrit cum angustia et labore, custodit cum instancia et timore.




**CAIUS PLINIUS SECUNDUS *Epistulae***
**(63 – c. 113 A.D.)**
**☆☆☆☆☆ VI 16 (Wybuch Wezuwiusza)**

**C. PLINIVS TACITO SVO S.**

Petis, ut tibi auunculi mei exitum scribam, quo uerius tradere posteris possis. Gratias ago; nam uideo morti eius, si celebretur a te, immortalem gloriam esse propositam. Quamuis enim pulcherrimarum clade terrarum, ut populi, ut urbes memorabili casu, quasi semper uiicturus occiderit, quamuis ipse plurima opera et mansura condiderit, multum tamen perpetuitati eius scriptorum tuorum aeternitas addet. Evidem beatos puto, quibus deorum munere datum est aut facere scribenda aut scribere legenda, beatissimos uero quibus utrumque. Horum in numero auunculus meus et suis libris et tuis erit. Quo libentius suscipio, deposco etiam, quod iniungis.

Erat Miseni classemque imperio praesens regebat. Nonum Kal. Septembres hora fere septima mater mea indicat ei adparere nubem inusitata et magnitudine et specie. Vsus ille sole, mox frigida, gustauerat iacens studebatque; poscit soleas, ascendit locum, ex quo maxime miraculum illud conspici poterat. Nubes incertum procul intuentibus ex quo monte (Vesuuium fuisse postea cognitum est) oriebatur, cuius similitudinem et formam non alia magis arbor quam pinus expresserit. Nam longissimo uelut trunco elata in altum quibusdam ramis diffundebatur, credo quia recenti spiritu euecta, dein senescente eo destituta aut etiam pondere suo uicta in latitudinem uanescebat, candida interdum, interdum sordida et maculosa prout terram cineremue sustulerat. Magnum propiusque noscendum, ut eruditissimo uiro uisum. Iubet liburnicam aptari; mihi, si uenire una uellem, facit copiam; respondi studere me malle, et forte ipse, quod scriberem, dederat. Egrediebatur domo; accipit codicillos Rectinae Tasci imminentि periculo exterritae (nam uilla eius subiacebat, nec ulla nisi nauibus fuga): ut se tanto discrimini eriperet orabat. Vertit ille consilium et, quod studioso animo incohauerat, obit maximo. Deducit quadriremes, ascendit ipse non Rectinae modo, sed multis (erat enim frequens amoenitas orae) latus auxilium. Properat illuc unde alii fugiunt, rectumque cursum recta gubernacula in periculum tenet adeo solitus metu, ut omnes illius mali motus omnes figuras, ut deprenderat oculis, dictaret enotaretque. Iam nauibus cinis incidebat, quo propius accederent, calidior et densior; iam pumices etiam nigrique et ambusti et fracti igne lapides; iam uadum subitum ruinaque montis litora obstantia. Cunctatus paulum an retro fletcheret, mox gubernatori, ut ita faceret, monenti 'Fortes' inquit 'fortuna iuuat: Pomponianum pete.' Stabiis erat diremptus sinu medio (nam sensim circumactis curuatisque litoribus mare infunditur); ibi quamquam nondum periculo adpropinquante, conspicuo tamen et, cum cresceret, proximo, sarcinas contulerat in naues, certus fugae si contrarius uentus resedisset. Quo tunc auunculus meus secundissimo inuectus, complectitur trepidantem consolatur hortatur, utque timorem eius

sua securitate leniret, deferri in balineum iubet; lotus accubat cenat, aut hilaris aut (quod aequem magnum) similis hilari.

Interim e Vesuuio monte pluribus locis latissimae flammea altaque incendia relucebant, quorum fulgor et claritas tenebris noctis excitabatur. Ille agrestium trepidatione ignes relictos desertasque uillas per solitudinem ardere in remedium formidinis dictitabat. Tum se quieti dedit et quieuit uerissimo quidem somno; nam meatus animae, qui illi propter amplitudinem corporis grauior et sonantior erat, ab iis, qui limini obuersabantur, audiebatur. Sed area, ex qua diaeta adibatur, ita iam cinere mixtisque pumicibus oppleta surrexerat, ut si longior in cubiculo mora, exitus negaretur. Excitatus procedit, seque Pomponiano ceterisque, qui per uigilauerant, reddit. In commune consultant, intra tecta subsistant, an in aperto uagentur. Nam crebris uastisque tremoribus tecta nutabant, et quasi emota sedibus suis nunc huc nunc illuc abire aut referri uidebantur. Sub dio rursus quamquam leuium exesorumque pumicum casus metuebatur, quod tamen periculorum collatio elegit; et apud illum quidem ratio rationem, apud alios timorem timor uicit. Ceruicalia capitibus imposita linteis constringunt; id munimentum aduersus incidentia fuit. Iam dies alibi, illic nox omnibus noctibus nigrior densiorque; quam tamen faces multae uariaque lumina soluebant. Placuit egredi in litus, et ex proximo adspicere, ecquid iam mare admitteret; quod adhuc uustum et aduersum permanebat. Ibi super abiectum linteum recubans semel atque iterum frigidam aquam poposcit hausitque. Deinde flammea flammarumque praenuntius odor sulphuris alios in fugam uertunt, excitant illum. Innitens seruolis duobus adsurrexit et statim concidit, ut ego colligo, crassiore caligine spiritu obstructo, clausoque stomacho, qui illi natura inualidus et angustus et frequenter aestuans erat. Vbi dies redditus (is ab eo, quem nouissime uiderat, tertius), corpus inuentum integrum inlaesum opertumque, ut fuerat indutus: habitus corporis quiescenti quam defuncto similius.

Interim Miseni ego et mater... Sed nihil ad historiam, nec tu aliud quam de exitu eius scire uoluisti. Finem ergo faciam. Vnum adiciam, omnia me, quibus interfueram quaeque statim, cum maxime uera memorantur, audieram, persecutum. Tu potissima excerves; aliud est enim epistulam, aliud historiam, aliud amico, aliud omnibus scribere. Vale.

## VII 27 *fragmenta (Nawiedzony dom)* ☆☆☆

C. PLINIUS SURAE SUO S.

Erat Athenis spatiosa et capax domus sed infamis et pestilens. Per silentium noctis sonus ferri, et si attenderes acrius, strepitus vinculorum longius primo, deinde e proximo reddebat: mox apparebat idolon, senex macie et squalore confectus, promissa barba horrenti capillo; cruribus compedes, manibus catenas gerebat quatiebatque. 6 Inde inhabitantibus tristes diraeque noctes per metum vigilabantur; vigiliam morbus et crescente formidine mors sequebatur. Nam interdiu quoque, quamquam abscesserat imago, memoria imaginis oculis inerrabat, longiorque causis timoris timor erat. Deserta inde et damnata solitudine domus totaque illi monstro relicta;

proscribatur tamen, seu quis emere seu quis conducere ignarus tanti mali vellet. 7 Venit Athenas philosophus Athenodorus, legit titulum auditoque pretio, quia suspecta vilitas, percunctatus omnia docetur ac nihilo minus, immo tanto magis conductus. Ubi coepit advesperascere, iubet sterni sibi in prima domus parte, poscit pugillares stilum lumen, suos omnes in interiora dimittit; ipse ad scribendum animum oculos manum intendit, ne vacua mens auditam simulacra et inanes sibi metus fingeret. 8 Initio, quale ubique, silentium noctis; dein concuti ferrum, vincula moveri. Ille non tollere oculos, non remittere stilum, sed offirmare animum auribusque praetendere. Tum crebrescere fragor, adventare et iam ut in limine, iam ut intra limen audiri. Respicit, videt agnoscitque narratam sibi effigiem. 9 Stabat innuebatque digito similis vocanti. Hic contra ut paulum exspectaret manu significat rursusque ceris et stilo incumbit. Illa scribentis capiti catenis insonabat. Respicit rursus idem quod prius innuentem, nec moratus tollit lumen et sequitur. 10 Ibat illa lento gradu quasi gravis vinculis. Postquam deflexit in aream domus, repente dilapsa deserit comitem. Desertus herbas et folia concerpta signum loco ponit. 11 Postero die adit magistratus, monet ut illum locum effodi iubeant. Inveniuntur ossa inserta catenis et implicita, quae corpus aevo terraque putrefactum nuda et exesa reliquerat vinculis; collecta publice sepeliuntur. Domus postea rite conditis manibus caruit.



**CAIUS PETRONIUS *Satyricon***  
**(c. 27 – 66 A.D.)**



**61-62 fragmenta (O wilkołaku) ☆☆☆**

"Cum adhuc servirem, habitabamus in vico angusto; nunc Gavillae domus est. Ibi, quomodo dii volunt, amare coepi uxorem Terentii coponis: noveratis Melissam Tarentinam, pulcherrimum bacciballum. Sed ego non mehercules corporaliter aut propter res venerias curavi, sed magis quod benemoria fuit. Si quid ab illa petii, nunquam mihi negatum; fecit assem, semissem habui; in illius sinum demandavi, nec unquam fefellitus sum. Huius contubernialis ad villam supremum diem obiit. Itaque per scutum per ocream egi aginavi, quemadmodum ad illam pervenirem: nam, ut aiunt, in angustiis amici apparent.

"Forte dominus Capuae exierat ad scruta scita expedienda. Nactus ego occasionem persuadeo hospitem nostrum, ut mecum ad quintum miliarium veniat. Erat autem miles, fortis tanquam Orcus. Apoculamus nos circa gallicinia; luna lucebat tanquam meridie. Venimus inter monimenta: homo meus coepit ad stelas facere; sedeo ego cantabundus et stelas numero. Deinde ut respexi ad comitem, ille exuit se et omnia vestimenta secundum viam posuit. Mihi anima in naso esse; stabam tanquam mortuus. At ille circumminxit vestimenta sua, et subito lupus factus est. Nolite me iocari putare; ut mentiar, nullius patrimonium tanti facio. Sed, quod cooperam dicere, postquam lupus factus est, ululare coepit et in silvas fugit. Ego primitus nesciebam ubi essem; deinde accessi, ut

vestimenta eius tollerem: illa autem lapidea facta sunt. Qui mori timore nisi ego? Gladium tamen strinxi et <in tota via> umbras cecidi, donec ad villam amicae meae pervenirem. In larvam intravi, paene animam ebullivi, sudor mihi per bifurcum volabat, oculi mortui; vix unquam refectus sum. Melissa mea mirari coepit, quod tam sero ambularem, et: 'Si ante, inquit, venisses, saltem nobis adiutasses; lupus enim villam intravit et omnia pecora tanquam lanius sanguinem illis misit. Nec tamen derisit, etiamsi fugit; senius enim noster lancea collum eius traiecit'. Haec ut audivi, operire oculos amplius non potui, sed luce clara Gai nostri domum fugi tanquam copo compilatus; et postquam veni in illum locum, in quo lapidea vestimenta erant facta, nihil inveni nisi sanguinem. Vt vero domum veni, iacebat miles meus in lecto tanquam bovis, et collum illius medicus curabat. Intellexi illum versipellem esse, nec postea cum illo panem gustare potui, non si me occidisses. Viderint quid de hoc alii exopinissent; ego si mentior, genios vestros iratos habeam."

### 85-87 (Filozof Eumolpos molestuje efeba) ☆☆


"In Asiam cum a quaestore essem stipendio eductus, hospitium Pergami accepi. Vbi cum libenter habitarem non solum propter cultum aedicularum, sed etiam propter hospitis formosissimum filium, excogitavi rationem, qua non essem patri familiae suspectus amator. Quotiescumque enim in convivio de usu formosorum mentio facta est, tam vehementer excandui, tam severa tristitia violari aures meas obsceno sermone nolui, ut me mater praecipue tanquam unum ex philosophis intueretur. Jam ego cooperam ephebum in gymnasium deducere, ego studia eius ordinare, ego docere ac praecipere, ne quis praedator corporis admitteretur in domum.

Forte cum in triclinio iaceremus, quia dies sollemnis ludum artaverat pigritiamque recedendi imposuerat hilaritas longior, fere circa mediam noctem intellexi puerum vigilare. Itaque timidissimo murmure votum feci et: "Domina, inquam, Venus, si ego hunc puerum basiavero, ita ut ille non sentiat, cras illi par columbarum donabo". Audito voluptatis pretio puer stertere coepit. Itaque aggressus simulanten aliquot basiolis invasi. Contentus hoc principio bene mane surrexi electumque par columbarum attuli expectanti ac me voto exsolvi.

Proxima nocte cum idem liceret, mutavi optionem et: "Si hunc, inquam, tractavero improba manu, et ille non senserit, gallos gallinaceos pugnacissimos duos donabo patienti". Ad hoc votum ephebus ultro se admovit et, puto, vereri coepit ne ego obdormissem. Indulsi ergo sollicito, totoque corpore citra summam voluptatem me ingurgitavi. Deinde ut dies venit, attuli gaudenti quicquid promiseram. Vt tertia nox licentiam dedit, consurrexi ad aurem male dormientis: "Dii, inquam, immortales, si ego huic dormienti abstulero coitum plenum et optabilem, pro hac felicitate cras puero asturconem Macedonicum optimum donabo, cum hac tamen exceptione, si ille non senserit". Nunquam altiore somno ephebus obdormivit. Itaque primum implevi lactentibus papillis manus, mox basio inhaesi, deinde in unum omnia vota coniunxi. Mane sedere in cubiculo coepit atque expectare consuetudinem meam. Scis quanto facilius sit columbas gallosque gallinaceos emere quam asturconem, et, praeter hoc, etiam timebam ne tam grande munus suspectam faceret

humanitatem meam. Ergo aliquot horis spatiatus, in hospitium reverti nihilque aliud quam puerum basiavi. At ille circumspiciens ut cervicem meam iunxit amplexu: "Rogo, inquit, domine, ubi est asturco?"

Cum ob hanc offensam paeclusissem mihi aditum quem feceram, <mox tamen> iterum ad licentiam redii. Interpositis enim paucis diebus, cum similis casus nos in eandem fortunam rettulisset, ut intellexi stertere patrem, rogare coepi ephebum ut reverteretur in gratiam mecum, id est ut pateretur satis fieri sibi, et cetera quae libido distenta dictat. At ille plane iratus nihil aliud dicebat nisi hoc: "Aut dormi, aut ego iam dicam patri". Nihil est tam arduum, quod non improbitas extorqueat. Dum dicit: "Patrem excitabo", irrepsi tamen et male repugnanti gaudium extorsi. At ille non indelectatus nequitia mea, postquam diu questus est deceptum se et derisum traductumque inter condiscipulos, quibus iactasset censem meum: "Videris tamen, inquit, non ero tui similis. Si quid vis, fac iterum". Ego vero deposita omni offensa cum puero in gratiam redii, ususque beneficio eius in somnum delapsus sum. Sed non fuit contentus iteratione ephibus plenae maturitatis et annis ad patiendum gestientibus. Itaque excitavit me sopitum et: "Numquid vis?" inquit. Et non plane iam molestum erat munus. Vtcunque igitur inter anhelitus sudoresque tritus, quod voluerat accepit, rursusque in somnum decidi gaudio lassus. Interposita minus hora pungere me manu coepit et dicere: "Quare non facimus?" Tum ego toties excitatus plane vehementer excandui et reddidi illi voces suas: "Aut dormi, aut ego iam patri dicam".



### **TITUS LIVIUS *Ab Urbe condita***

**(59 B.C. – A.D. 17)**



### **I 6-7 fragmenta (Założenie Rzymu) ☆☆☆**

Romulum Remumque cupidus cepit in iis locis ubi expositi ubique educati erant urbis condendae. Et supererat multitudo Albanorum Latinorumque; ad id pastores quoque accesserant, qui omnes facile spem facerent parvam Albam, parvum Lavinium praesea urbe quae conderetur fore. Intervenit deinde his cogitationibus avitum malum, regni cupido, atque inde foedum certamen coortum a satis miti principio. Quoniam gemini essent nec aetatis verecundia discrimin facere posset, ut di, quorum tutelae ea loca essent, auguriis legerent, qui nomen novae urbi daret, qui conditam imperio regeret, Palatum Romulus, Remus Aventinum ad inaugurandum tempa capiunt. Priori Remo augurium venisse fertur, sex voltures; iamque nuntiato augurio cum duplex numerus Romulo se ostendisset, utrumque regem sua multitudine consulutauerat: tempore illi praecepto, at hi numero auium regnum trahebant. Inde cum altercatione congressi certamine irarum ad caudem vertuntur; ibi in turba ictus Remus cecidit. Volgatior fama est ludibrio fratris Remum novos transiluisse muros; inde ab irato Romulo, cum verbis quoque increpitans adiecerisset, "Sic deinde, quicumque alias transiliat moenia mea," imperfectum. Ita solus potitus imperio Romulus; condita urbs conditoris nomine appellata.



### I 9 (Porwanie Sabinek) ☆☆☆☆

Iam res Romana adeo erat ualida, ut cuilibet finitimarum civitatum bello par esset; sed penuria mulierum hominis aetatem duratura magnitudo erat, quippe quibus nec domi spes prolis nec cum finitimis conubia essent. Tum ex consilio patrum Romulus legatos circa vicinas gentes misit, qui societatem conubiumque novo populo peterent: urbes quoque, ut cetera, ex infimo nasci; dein, quas sua virtus ac di iuuent, magnas opes sibi magnumque nomen facere; satis scire, origini Romanae et deos adfuisse et non defuturam virtutem; proinde ne gravarentur homines cum hominibus sanguinem ac genus miscere. Nusquam benigne legatio audita est: adeo simul spernebant, simul tantam in medio crescentem molem sibi ac posteris suis metuebant. Ac plerisque rogitantibus dimissi, ecquid feminis quoque asylum aperuissent; id enim demum compar conubium fore. Aegre id Romana pubes passa et haud dubie ad vim spectare res coepit. Cui tempus locumque aptum ut daret Romulus aegritudinem animi dissimulans ludos ex industria parat Neptuno equestri sollemnes; Consualia vocat. Indici deinde finitimis spectaculum iubet; quantoque apparatu tum sciebant aut poterant, concelebrant ut rem claram exspectatamque facerent. Multi mortales conuenere, studio etiam videndae novae urbis, maxime proximi quique, Caeninenses, Crustumini, Antemnates; iam Sabinorum omnis multitudo cum liberis ac coniugibus venit. Inuitati hospitaliter per domos cum situm moeniaque et frequentem tectis urbem vidissent, mirantur tam breui rem Romanam crevisse. Vbi spectaculi tempus venit deditaeque eo mentes cum oculis erant, tum ex composito orta vis signoque dato iuventus Romana ad rapiendas virgines discurrit. Magna pars forte in quem quaeque inciderat, raptae: quasdam forma excellentes, primoribus patrum destinatas, ex plebe homines, quibus datum negotium erat, domos deferebant. Vnam longe ante alias specie ac pulchritudine insignem a globo Thalassi cuiusdam raptam ferunt multisque sciscitantibus cuinam eam ferrent, identidem, ne quis violaret, Thalassio ferri clamitatum; inde nuptialem hanc vocem factam. Turbato per metum ludicro maesti parentes virginum profugiunt, incusantes violati hospitii foedus deumque invocantes, cuius ad sollemne ludosque per fas ac fidem decepti venissent. Nec raptis aut spes de se melior aut indignatio est minor. Sed ipse Romulus circumibat docebatque patrum id superbia factum, qui conubium finitimis negassent; illas tamen in matrimonio, in societate fortunarum omnium civitatisque et, quo nihil carius humano generi sit, liberum fore; mollirent modo iras et, quibus fors corpora dedisset, darent animos; saepe ex iniuria postmodum gratiam ortam; eoque melioribus usuras viris quod adnisurus pro se quisque sit ut, cum suam vicem functus officio sit, parentium etiam patriaeque expleat desiderium. Accedeabant blanditiae virorum, factum purgantium cupiditate atque amore, quae maxime ad muliebre ingenium efficaces preces sunt.

### I 56 fragmenta (Przepowiednia) ☆☆☆

Haec agenti <Tarquinio Superbo> portentum terribile visum: anguis ex columna lignea elapsus cum terrorem fugamque in regia fecisset, ipsius regis non tam subito pavore perculit

pectus quam anxiis implevit curis. Itaque cum ad publica prodigia Etrusci tantum uates adhicerentur, hoc velut domestico exterritus visu Delphos ad maxime inclitum in terris oraculum mittere statuit. Neque responsa sortium ulli alii committere ausus, duos filios per ignotas ea tempestate terras, ignotiora maria in Graeciam misit. Titus et Arruns profecti; comes iis additus L. Junius Brutus, Tarquinia, sorore regis, natus, iuvenis longe alias ingenii quam cuius simulationem induerat. Is, cum primores civitatis, in quibus fratrem suum, ab auunculo imperfectum audisset, neque in animo suo quicquam regi timendum neque in fortuna concupiscendum relinquere statuit contemptuque tutus esse ubi in iure parum praesidii esset. Ergo ex industria factus ad imitationem stultitiae, cum se suaque praedae esse regi sineret, Brutus quoque haud abnuit cognomen, ut sub eius obtentu cognominis liberator ille populi Romani animus latens opperiretur tempora sua. Is tum ab Tarquiniis ductus Delphos, ludibrium verius quam comes, aureum baculum inclusum corneo cauato ad id baculo tulisse donum Apollini dicitur, per ambages effigiem ingenii sui. Quo postquam ventum est, perfectis patris mandatis cupido incessit animos iuvenum sciscitandi ad quem eorum regnum Romanum esset venturum. Ex infimo specu vocem redditam ferunt: imperium sumnum Romae habebit qui uestrum primus, o iuvenes, osculum matri tulerit. Tarquinii ut Sextus, qui Romae relictus fuerat, ignarus responsi expersque imperii esset, rem summa ope taceri iubent; ipsi inter se uter prior, cum Romam redisset, matri osculum daret, sorti permittunt. Brutus alio ratus spectare Pythicam vocem, velut si prolapsus cecidisset, terram osculo contigit, scilicet quod ea communis mater omnium mortalium esset. Reditum inde Romam, ubi adversus Rutulos bellum summa vi parabatur.

### I 57-58 (Historia Lukrecji) ☆☆☆

Ardeam Rutuli habebant, gens, ut in ea regione atque in ea aetate, divitiis praepollens; eaque ipsa causa belli fuit, quod rex Romanus cum ipse ditari, exhaustus magnificentia publicorum operum, tum praeda delenire popularium animos studebat, praeter aliam superbiam regno infestos, etiam quod se in fabrorum ministeriis ac seruili tam diu habitos opere ab rege indignabantur. Temptata res est, si primo impetu capi Ardea posset: ubi id parum processit, obsidione munitionibusque coepti premi hostes. In his statuus, ut fit longo magis quam acri bello, satis liberi commeatus erant, primoribus tamen magis quam militibus; regii quidem iuvenes interdum otium conuiuiis comisationibusque inter se terebant. Forte potentibus his apud Sex. Tarquinium, ubi et Collatinus cenabat Tarquinius, Egeri filius, incidit de uxoribus mentio. Suam quisque laudare miris modis; inde certamine accenso Collatinus negat verbis opus esse; paucis id quidem horis posse sciri, quantum ceteris praestet Lucretia sua. "Quin, si vigor iuventae inest, concendimus equos inuisimusque praesentes nostrarum ingenia? Id cuique spectatissimum sit, quod necopinato viri adventu occurrerit oculis." Incaluerant uino; "Age sane" omnes; citatis equis auolant Romam. Quo cum primis se intendentibus tenebris pervenissent, pergunt inde Collatiam, ubi Lucretiam haudquaquam ut regias nurus, quas in conuiuio luxuque cum aequalibus viderant tempus terentes, sed nocte sera deditam lanae inter lucubrantes ancillas in medio aedium

sedentem inveniunt. Muliebris certaminis laus penes Lucretiam fuit. Adveniens vir Tarquiniique excepti benigne; victor maritus comiter inuitat regios iuvenes. Ibi Sex. Tarquinium mala libido Lucretiae per vim stuprandae capit; cum forma tum spectata castitas incitat. Et tum quidem ab nocturno iuvenali ludo in castra redeunt.

Paucis interiectis diebus Sex. Tarquinius inscio Collatino cum comite uno Collatiam venit. Vbi exceptus benigne ab ignaris consilii, cum post cenam in hospitale cubiculum deductus esset, amore ardens, postquam satis tuta circa sopitique omnes videbantur, stricto gladio ad dormientem Lucretiam venit sinistraque manu mulieris pectore oppresso "Tace, Lucretia" inquit; "Sex. Tarquinius sum; ferrum in manu est; moriere, si emiseris vocem." Cum pavida ex somno mulier nullam opem, prope mortem imminentem videret, tum Tarquinius fateri amorem, orare, miscere precibus minas, versare in omnes partes muliebrem animum. Vbi obstinatam videbat et ne mortis quidem metu inclinari, addit ad metum dedecus: cum mortua iugulatum seruum nudum positurum ait, ut in sordido adulterio necata dicatur. Quo terrore cum viciisset obstinatam pudicitiam, velut vi victrix libido, profectusque inde Tarquinius ferox expugnato decore muliebri esset, Lucretia maesta tanto malo nuntium Romam eundem ad patrem Ardeamque ad virum mittit, ut cum singulis fidelibus amicis veniant; ita facto maturatoque opus esse; rem atrocem incidisse. Sp. Lucretius cum P. Valerio Volesi filio, Collatinus cum L. Iunio Bruto venit, cum quo forte Romam rediens ab nuntio uxoris erat conuentus. Lucretiam sedentem maestam in cubiculo inveniunt. Aduentu suorum lacrimae obortae, quaerentique viro "Satin salute?" "Minime" inquit; "quid enim salui est mulieri amissa pudicitia? Vestigia viri alieni, Collatine, in lecto sunt tuo; ceterum corpus est tantum violatum, animus insonis; mors testis erit. Sed date dexteras fidemque haud impune adultero fore. Sex. est Tarquinius, qui hostis pro hospite priore nocte vi armatus mihi sibique, si vos viri estis, pestiferum hinc abstulit gaudium." Dant ordine omnes fidem; consolantur aegram animi avertendo noxam ab coacta in auctorem delicti: mentem peccare, non corpus, et unde consilium afuerit culpam abesse. "Vos" inquit "uideritis, quid illi debeatur: ego me etsi peccato absoluo, suppicio non libero; nec ulla deinde impudica Lucretiae exemplo uiuet." Cultrum, quem sub ueste abditum habebat, eum in corde defigit, prolapsaque in volnus moribunda cecidit. Conclamat vir paterque.





**CAIUS SUETONIUS TRANQUILLUS *De vita caesarum***  
**(c. 69 – after 130)**

**DIVUS IULIUS *fragmenta* (Żywot Cezara) ☆☆**

Annum agens sextum decimum patrem amisit. Dimissa Cossutia Corneliam Cinae quater consulis filiam duxit uxorem, ex qua illi mox Iulia nata est. Stipendia prima in Asia fecit Marci Thermi praetoris contubernio; a quo ad accersendam classem in Bithyniam missus est. In Corneliae defunctae uxoris locum Pompeiam duxit, Quinti Pompei filiam, L. Sullae neptem. Cum qua deinde diuortium fecit adulteratam opinatus a Publio Clodio, quem inter publicas caerimonias penetrasse ad eam muliebri ueste constans apud omnes fama erat. Gessit autem nouem annis, quibus in imperio fuit, haec fere: Omnem Galliam in prouinciae formam rededit, Germanos, qui trans Rhenum incolunt, primus Romanorum ponte fabricato adgressus maximis adfeciit cladibus; adgressus est et Britannos, per tot successus ter nec amplius aduersum casum expertus est. Confectis bellis quinquiens triumphauit. Pontico triumpho inter pompaे fercula trium uerborum praetulit titulum: *veni vidi vici*. Pudicitiae eius famam nihil quidem praeter Nicomedis contubernium laesit. Gallico denique triumpho milites eius inter cetera carmina, etiam illud uulgatissimum pronuntiauerunt: *Gallias Caesar subegit, Nicomedes Caesarem*. Curio etiam pater quadam oratione „omnium mulierum uirum et omnium uirorum mulierem” eum appellat. Utebatur autem equo insigni, pedibus prope humanis, apud se natum, quem magna cura aluit. Cuius etiam instar pro aede Veneris Genetricis postea dedicauit.

Perit sexto et quinquagesimo aetatis anno atque in deorum numerum relatus est, non ore modo decernentium, sed et persuasione uulgi. Siquidem ludis, quos primos consecratos ei heres Augustus edebat, stella crinita per septem continuos dies fulsit exoriens circa undecimam horam, creditumque est animam esse Caesaris in caelum recepti; et hac de causa simulacro eius in uertice additur stella. Curiam, in qua occisus est, obstrui placuit. Idusque Martias Parricidium nominari, quo die ab hoc tempore numquam senatus agebatur. Percussorum autem fere neque triennio quisquam amplius superuixit neque sua morte defunctus est. Damnati omnes, alius alio casu periit, pars naufragio, pars proelio.



## VITA GAI *fragmenta* (Żywot Kaliguli) ☆☆☆☆☆

Germanicus, C. Caesaris pater, Drusi et minoris Antoniae filius, a Tiberio patruo adoptatus, annum agens aetatis quartum et tricensimum diuturno morbo Antiochiae obiit, non sine uenenii suspicione. Nam praeter liuores, qui toto corpore erant, et spumas, quae per os fluebant, cremati quoque cor inter ossa incorruptum repertum est, cuius ea natura existimatur, ut tinctum ueneno igne confici nequeat. Obiit autem, ut opinio fuit, fraude Tiberi, ministerio et opera Cn. Pisonis.

C. Caesar Caligulae cognomen castrensi ioco traxit, quia manipulario habitu inter milites educabatur. Apud quos quantum praeterea per hanc nutrimentorum consuetudinem amore et gratia ualuerit, maxime cognitum est. Primum in matris, deinde ea relegata in Liuiae Augustae proauiae suae contubernio mansit. Naturam saeuam atque probrosam nec inhibere poterat, quin et poenis ad supplicium datorum cupidissime interesset et ganeas atque adulteria capillamento celatus et ueste longa noctibus obiret ac scaenicas saltandi canendique artes studiosissime appeteret, facile id sane Tiberio paciente, si per has mansuefieri posset ferum eius ingenium. Quod sagacissimus senex ita prorsus perspexerat, ut aliquotiens praedicaret exitio suo omniumque Gaium uiuere et se natricem [serpentis id genus] p(opulo) R(omano), Phaethontem orbi terrarum educare.

Vixit annis uiginti nouem, imperauit triennio et decem mensibus diebusque octo. Cadauer eius clam in hortos Lamianos asportatum et tumultuario rogo semiambustum leui caespite obrutum est, postea per sorores ab exilio reuersas erutum et crematum sepultumque. Satis constat, prius quam id fieret, hortorum custodes umbris inquietatos; in ea quoque domo, in qua occubuerit, nullam noctem sine aliquo terrore transactam, donec ipsa domus incendio consumpta sit. Perit una et uxor Caesonia gladio a centurione confossa et filia parieti inlisa.

C. Caesar Caligula ueneno Tiberium adgressus est, ut quidam opinantur, spirantique adhuc detrahi anulum et, quoniam suspicionem retinentis dabat, puluinium iussit inici atque etiam fauces manu sua oppressit, liberto, qui ob atrocitatem facinoris exclamauerat, confessim in crucem acto. Sic imperium adeptus exoptatissimus princeps non solum maximae parti prouincialium ac militum, quod infantem plerique cognouerant, sed et uniuersae plebi urbanae ob memoriam Germanici patris miserationemque prope afflictae domus factus est. Munera gladiatoria partim in amphitheatro Tauri partim in Saeptis aliquot edidit, quibus inseruit cateruas Afrorum Campanorumque pugilum ex utraque regione electissimorum. Neque spectaculis semper ipse praesedit, sed interdum aut magistratibus aut amicis praesidendi munus iniunxit. Scaenicos ludos et assidue et uarii generis ac multifariam fecit, quondam et nocturnos accensis tota urbe luminibus. Nouum praeterea atque inauditum genus spectaculi excogitauit. Nam Baiarum medium interuallum ponte coniunxit in Appiae uiae formam contractis undique onerariis nauibus. Per hunc pontem ultro citro commeauit biduo continenti, primo die phalerato equo insignisque quercea corona et caetra et gladio aureaque chlamyde, postridie quadrigario habitu curriculoque biiugi

famosorum equorum comitante agmine amicorum. Scio plerosque existimasse talem a Gaio pontem excogitatum aemulatione Xerxis, qui non sine admiratione aliquanto angustiorem Hellespontum contabulauerit; alios, ut Germaniam et Britanniam, quibus imminebat, alicuius inmensi operis fama territaret. Sed auum meum narrantem puer audiebam, causam operis ab interioribus aulicis proditam, quod Thrasylus mathematicus anxio de successore Tiberio affirmasset non magis Gaium imperaturum quam per Baianum sinum equis discursurum esse.

Hactenus de C. Caesare quasi de principe, reliqua, ut de monstro narranda sunt. Compluria cognomina assumpsit — nam et *pius* et *castrorum filius* et *pater exercituum* et *optimus maximus Caesar* uocabatur. Nec multum afuit, quin statim diadema sumeret speciemque principatus in regni formam conuerteret. Simulacra numinum religione et arte praeclera, inter quae Olympii Iouis, apportavit e Graecia, quibus capite dempto suum imponeret. Templum etiam numini suo proprium et sacerdotes et excogitatissimas hostias instituit. In templo simulacrum stabat aureum iconicum amiciebaturque cotidie ueste, quali ipse uteretur. Hostiae erant phoenicopteri, pauones, tetraones, numidicae, meleagrides, phasianae, quae generatim per singulos dies immolarentur. Et noctibus quidem plenam fulgentemque lunam inuitabat assidue in amplexus atque concubitum, interdiu uero cum Capitolino Ioue secreto fabulabatur, modo insusurrans ac praebens in uicem aurem, modo clarius nec sine iurgiis. Agrippae se nepotem neque credi neque dici ob ignobilitatem eius uolebat. Praedicabat autem matrem suam ex incesto, quod Augustus cum Iulia filia admisisset, procreatam esse. Cum omnibus sororibus suis consuetudinem stupri fecit plenoque conuiuio singulas infra se uicissim conlocabat uxore supra cubante. Ex iis Drusillam uitiasse uirginem praetextatus adhuc creditur atque etiam in concubitu eius quondam deprehensus esse ab Antonia auia, apud quam simul educabantur. Reliquas sorores nec cupiditate tanta nec dignatione dilexit. Matrimonia contraxerit turpius an dimiserit an tenuerit, non est facile discernere. Liuiam Orestillam C. Pisoni nubentem ad se deduci imperauit intraque paucos dies repudiatam biennio post relegauit. Alii tradunt adhibitum cenae nuptiali mandasse ad Pisonem contra accumbentem: *Noli uxorem meam premere*, statimque e conuiuio abduxisse secum ac proximo die edixisse: *Matrimonium repperi exemplo Romuli et Augusti*.

Saeuitiam ingenii per haec maxime ostendit: Uotum exegit ab eo, qui pro salute sua gladiatoriā operam promiserat, spectauitque ferro dimicantem nec dimisit nisi uictorem et post multas preces. Alterum, qui se peritum ea de causa uouerat, cunctantem pueris tradidit, uerbenatum infulatumque; uotum reposcentes per uicos agerent, quoad praecipitaretur ex aggere. Multos honesti ordinis deformatos prius stigmatum notis ad metalla et munitiones uiarum aut ad bestias condemnauit. Parentes suppicio filiorum interesse cogebat; quorum uni ualitudinem excusanti lecticam misit, alium a spectaculo poenae epulis statim adhibuit atque omni comitate ad hilaritatem et iocos prouocauit. Curatorem munerum ac uenationum per continuos dies in conspectu suo catenis uerberatum non prius occidit quam offensus putrefacti cerebri odore. Poetam quandam ob ambigui ioci uersiculum media amphitheatri harena igni cremauit. Equitem

quendam obiectum feris, cum se innocentem proclamasset, reduxit abscisaque lingua rursus induxit. Immanissima facta augebat atrocitate uerborum. Nihil magis in natura sua laudare se ac probare dicebat quam, ut ipsius uerbo utar, *adiatrepian*, hoc est inuercundiam. Trucidaturus fratrem, quem metu uenenorum praemuniri medicamentis suspicabatur: "antidotum," inquit, "aduersus Caesarem?" Relegatis sororibus non solum insulas habere se, sed etiam gladios minabatur. Punito per errorem nominis alio, quam quem destinauerat, ipsum quoque paria meruisse dixit. Tragicum illud subinde iactabat: "Oderint, dum metuant". Queri etiam palam de condicione temporum suorum solebat, quod nullis calamitatibus publicis insignirentur; Augusti principatum clade Variana, Tiberi ruina spectaculorum apud Fidenas memorabilem factum, suo obliuionem imminere prosperitate rerum; atque identidem exercituum caedes, famem, pestilentiam, incendia, hiatum aliquem terrae optabat.

Inter uarios iocos, cum assistens simulacro Iouis Apellen tragoedum consuluisset, uter illi maior uideretur, cunctantem flagellis discidit conlaudans subinde uocem deprecantis quasi etiam in gemitu praedulcem. Quotiens uxor uel amiculae collum exoscularetur, addebat: "tam bona ceruix, simul ac iussero, demetur." Nec minore liuore ac malignitate quam superbia saeuitiaeque paene aduersus omnis aei hominum genus grassatus est. Statuas uirorum inlustrium ab Augusto ex Capitolina area propter angustias in campum Martium conlatas ita subuertit atque disiecit ut restitui saluis titulis non potuerint. Cogitauit etiam de Homeri carminibus abolendis, cur enim sibi non licere dicens, quod Platonii licuisset, qui eum e ciuitate, quam constituebat, eiecerit? Sed et Vergilii ac Titi Liui scripta et imagines paulum afuit quin ex omnibus bibliothecis amoueret. Pudicitiae neque suae neque alienae pepercit. Quas plerumque cum maritis ad cenam uocatas praeterque pedes suos transeuntes diligenter ac lente mercantium more considerabat, etiam faciem manu adleuans, si quae pudore submitterent. Statura fuit eminenti, colore expallido, corpore enormi, gracilitate maxima ceruicis et crurum, oculis et temporibus concauis, fronte lata et torua, capillo raro. Uultum uero natura horridum ac taetrum etiam ex industria efferabat componens ad speculum in omnem terrorem ac formidinem. Valitudo ei neque corporis neque animi constituit. Mentis ualitudinem et ipse senserat ac subinde de secessu deque purgando cerebro cogitauit. Creditur potionatus a Caesonia uxore amatorio quidem medicamento, sed quod in furem uerterit. Incitabatur insomnio maxime; neque enim plus quam tribus nocturnis horis quiescebat ac ne iis quidem placida quiete, sed pauida miris rerum imaginibus, ut qui inter ceteras pelagi quondam speciem conloquentem secum uidere uisus sit. Ideoque magna parte noctis uigiliae cubandique taedio nunc toro residens, nunc per longissimas porticus uagus inuocare identidem atque expectare lucem consuerat.

C. Caesar vestitu calciatuque et cetero habitu neque patrio neque ciuili, ac ne uirili quidem ac denique humano semper usus est. Saepe depictas gemmatasque induitus paenulas, manuleatus et armillatus in publicum processit ac modo in crepidis uel coturnis, modo in speculatoria caliga, nonnumquam socco muliebri. Plerumque uero aurea barba, fulmen tenens aut fuscinam aut

caduceum deorum insignia, atque etiam Veneris cultu conspectus est. Triumphalem quidem ornatum etiam ante expeditionem assidue gestauit, interdum et Magni Alexandri thoracem repetitum e conditorio eius. Ex disciplinis liberalibus minimum eruditioni, eloquentiae plurimum attendit, quantumuis facundus et promptus, utique si perorandum in aliquem esset. Irato et uerba et sententiae suppetebant, pronuntiatio quoque et uox, ut neque eodem loci piae ardore consisteteret et exaudiretur a procul stantibus. Sed et aliorum generum artes studiosissime et diuersissimas exercuit. Thrax et auriga, idem cantor atque saltator, battuebat pugnatoriis armis, aurigabat extracto plurifariam circo. Canendi ac saltandi uoluptate ita efferebatur, ut ne publicis quidem spectaculis temperaret, quo minus et tragoedo pronuntianti concineret et gestum histrionis quasi laudans uel corrigens palam effingeret. Saltabat autem nonnumquam etiam noctu. Atque hic tam docilis ad cetera, natare nesciit. Quorum uero studio teneretur, omnibus ad insaniam fuit. Mnesterem pantomimum etiam inter spectacula osculabatur, ac si qui saltante eo uel leuiter obstreperet, detrahi iussum manu sua flagellabat. Prasinae factioni ita addictus et deditus est, ut cenaret in stabulo assidue et maneret. Incitato equo, cuius causa pridie circenses, ne inquietaretur, uicinia silentium per milites indicere solebat, praeter equile marmoreum et praesaeppe eburneum praeterque purpurea tegumenta ac monilia e gemmis domum etiam et familiam et supellectilem dedit, quo lautius nomine eius inuitati acciperentur; consulatum quoque traditur destinasse.

C. Caesaris futurae caedis multa prodigia extiterunt. Olympiae simulacrum Iouis, quod dissolui transferrique Romam placuerat, tantum cachinnum repente edidit, ut machinis labefactis opifices diffugerint. Superuenit ilico quidam Cassius nomine, iussum se somnio affirmans immolare taurum Ioui. Capitolium Capuae de caelo tactum est, item Romae cella Palatini atriensis. Consulenti quoque caesari de genitura sua Sulla mathematicus certissimam necem appropinquare affirmauit. Monuerunt eum et alii, ut a Cassio caueret. Qua causa ille Cassium Longinum, Asiae tum proconsulem, occidendum delegauerat. Pridie quam periret, somniauit consistere se in caelo iuxta solium Iouis impulsuque ab eo dextri pedis pollice et in terras praecipitatum. Prodigiorum loco habita sunt etiam, quae forte illo ipso die paulo prius acciderant: Sacrificans respersus est phoenicopteri sanguine. Pantomimus Mnester tragoediam saltauit, quam olim Neoptolemus tragoedus ludis, quibus rex Macedonum Philippus occisus est, egerat et in quodam mimo, in quo actor proripiens se ruina sanguinem uomit, cruore scaena abundauit. Parabatur et in noctem spectaculum, quo argumenta inferorum per Aegyptios et Aethiopas explicarentur. VIIII. Kal. Febr. hora fere septima, cunctatus, an ad prandium surgeret marcente adhuc stomacho pridiani cibi onere, tandem suadentibus amicis egressus est. Cum in crypta, per quam transeundum erat, pueri nobiles ex Asia ad edendas in scaena operas euocati praepararentur, restitit, ut eos inspiceret hortareturque, et tunc redire ac repraesentare spectaculum uoluit. Tum, tradunt, adloquenti pueros a tergo Chaereum ceruicem gladio caesim grauiter percussisse praemissa uoce: "hoc age!". Iacentem contractisque membris clamitantem se uiuere ceteri uulneribus triginta confecerunt; nam signum erat omnium: "repete!" Quidam etiam per obscaena ferrum adegerunt.



**PUBLIUS CORNELIUS TACITUS *Annales***  
**(c. 56 – c. 117 A.D.)**



☆ ☆ 2. 71-75 *fragmenta (Śmierć Germanika)* ☆ ☆

Caesar Germanicus adsistentes amicos in hunc modum adloquitur: "Si fato concederem, iustus mihi dolor etiam adversus deos esset, quod me parentibus liberis patriae intra inventam praematurom exitu raperent. Nunc scelere Pisonis et Plancinae interceptus ultimas preces pectoribus vestris relinqu: referatis patri ac fratri, quibus insidiis circumventus miserrimam vitam pessima morte finierim. Erit vobis locus querendi apud senatum, invocandi leges. Non hoc praecipuum amicorum munus est, prosequi defunctum ignavo questu, sed, quae voluerit, meminisse, quae mandaverit, exequi". Flebunt Germanicum etiam ignoti: "Vindicabitis vos — inquit — si me potius quam fortunam meam fovebatis. Ostendite populo Romano divi Augusti nepotem eandemque coniugem meam, numerate sex liberos." Tum ad uxorem versus per memoriam sui, per communes liberos oravit, exueret ferociam, neu regressa in urbem aemulatione potentiae validiores irritaret. Neque multo post extinguitur, ingenti luctu provinciae et circumiacentium populorum.

Funus sine imaginibus et pompa, per laudes ac memoriam virtutum eius celebre fuit. Corpus, antequam cremaretur, nudatum in foro Antiochensium, qui locus sepulturae destinabatur, praetuleritne beneficij signa, parum constitit; nam ut quis misericordia in Germanicum et praesumpta suspicione, aut favore in Pisonem pronior, diversi interpretabantur. At Agrippina, quamquam defessa luctu et corpore aegro, omnium tamen, quae ultionem morarentur, intolerans, ascendit classem cum cineribus Germanici et liberis, miserantibus cunctis, quod femina nobilitate princeps, pulcherrimo modo matrimonio inter venerantes gratantesque aspici solita, tunc feralis reliquias sinu ferret, incerta ultionis, anxia sui et infelici fecunditate fortunae totiens obnoxia.

**15.44 (Oskarżenie chrześcijan)** ☆ ☆ ☆ ☆

Sed non ope humana, non largitionibus principis aut deum placentis decedebat infamia, quin iussum incendium crederetur. ergo abolendo rumori Nero subdidit reos et quaesitissimis poenis adfecit, quos per flagitia invisos vulgus Chrestianos appellabat. auctor nominis eius Christus Tibero imperitante per procuratorem Pontium Pilatum supplicio adfectus erat; repressaque in praesens exitiabilis supersticio rursum erumpebat, non modo per Iudeam, originem eius mali, sed per urbem etiam, quo cuncta undique atrocia aut pudenda confluunt celebranturque. Igitur primum correpti, qui fatebantur, deinde iudicio eorum multitudo ingens haud proinde in criminе incendi, quam odio humani generis convicti sunt. Et pereuntibus addita ludibria, ut ferarum tergis contexti laniatu canum interirent aut crucibus adfixi [aut flammandi atque], ubi defecisset dies, in usu[m] nocturni luminis urerentur. Hortos suos ei spectaculo Nero obtulerat, et circense ludicrum edebat, habitu aurigae permixtus plebi vel curriculo insistens. unde quamquam adversus sontes et novissima exempla meritos miseratio oriebatur, tamquam non utilitate publica, sed in saevitiam unius absumerentur.



### AULUS GELLIUS *Noctes Atticae*

(c. A.D. 125 – after 180)

#### I 17 (Sokrates i Ksantypa) ☆

*Quanta cum animi aequitate toleraverit Socrates uxoris ingenium intractabile; atque inibi quid M. Varro in quadam satura de officio mariti scripserit.* 1. Xanthippe, Socratis philosophi uxor, morosa admodum fuisse fertur et iurgiosa irarumque et molestiarum muliebrium per diem perque noctem scatebat. 2. Has eius intemperies in maritum Alcibiades demiratus interrogavit Socraten, quaenam ratio esset, cur mulierem tam acerbam domo non exigeret. 3. "Quoniam," inquit Socrates "cum illam domi talem perpetior, insuesco et exerceor, ut ceterorum quoque foris petulantiam et iniuriam facilius feram." 4. Secundum hanc sententiam M. quoque Varro in satura Menippaea, quam de officio mariti scripsit: "Vitium" inquit "uxoris aut tollendum aut ferendum est. Qui tollit vitium, uxorem commodiorem praestat; qui fert, sese meliorem facit." 5. Haec verba Varronis "tollere" et "ferre" lepide quidem composita sunt, sed "tollere" appet dictum pro "corrigere". 6. Id etiam appet eiusmodi vitium uxor, si corrigi non possit, ferendum esse Varronem censisse, quod ferri scilicet a viro honeste potest; vitia enim flagitiis leviora sunt.

#### II 10 (Księgi Sybillińskie) ☆

*Historia super libris Sibyllinis ac de Tarquinio Superbo rege.*

1 In antiquis annalibus memoria super libris Sibyllinis haec prodita est: 2 Anus hospita atque incognita ad Tarquinium Superbum regem adiit novem libros ferens, quos esse dicebat divina oracula; eos velle venundare. 3 Tarquinius pretium percontatus est. Mulier nimium atque inmensum poposcit; 4 rex, quasi anus aetate desiperet, derisit. 5 Tum illa foculum coram cum igni apponit, tris libros ex novem deurit et, ecquid reliquos sex eodem pretio emere vellet, regem interrogavit. 6 Sed enim Tarquinius id multo risit magis dixitque anum iam procul dubio delirare. 7 Mulier ibidem statim tris alias libros exussit atque id ipsum denuo placide rogat, ut tris reliquos eodem illo pretio emat. 8 Tarquinius ore iam serio atque attentiore animo fit, eam constantiam confidentiamque non insuper habendam intellegit, libros tris reliquos mercatur nihilo minore pretio, quam quod erat petitum pro omnibus. 9 Sed eam mulierem tunc a Tarquinio digressam postea nusquam loci visam constituit. 10 Libri tres in sacrarium conditi "Sibyllini" appellati; 11 ad eos quasi ad oraculum quindecimviri adeunt, cum di immortales publice consulendi sunt.

#### II 21 (Wielka Niedźwiedzica) ☆

*Super eo sidere, quod Graeci hamaxan, nos "septentriones" vocamus; ac de utriusque vocabuli ratione et origine.* 1 Ab Aegina in Piraeum complusculi earundem disciplinarum sectatores Graeci Romanique homines eadem in navi tramittebamus. 2 Nox fuit et clemens mare et anni aestas caelumque liquide serenum. Sedebamus ergo in puppi simul universi et lucentia sidera considerabamus. 3 Tum, qui eodem in numero Graecas res eruditii erant, quid hamaxa esset, et

quaenam maior et quae minor, cur ita appellata et quam in partem procedentis noctis spatio moveretur et quamobrem Homerus solam eam non occidere dicat, tum et quaedam alia, scite ista omnia ac perite disserebant. 4 Hic ego ad nostros iuvenes convertor et "quin" inquam "vos opici dicitis mihi, quare, quod hamaxan Graeci vocant, nos "septentriones" vocamus? 5 non enim satis est, quod septem stellas videmus, sed quid hoc totum, quod "septentriones" dicimus, significet, scire" inquam "id prolixius volo." 6 Tum quispiam ex his, qui se ad litteras memoriasque veteres dediderat: "vulgus" inquit "grammaticorum "septentriones" a solo numero stellarum dictum putat. 7 "Triones" enim per sese nihil significare aiunt, sed vocabuli esse supplementum; sicut in eo, quod "quinquatus" dicamus, quinque ab Idibus dierum numerus sit, "atrus" nihil. 8 Sed ego quidem cum L. Aelio et M. Varrone sentio, qui "triones" rustico vocabulo boves appellatos scribunt quasi quosdam "terriones", hoc est arandae colendaeque terrae idoneos. 9 Itaque hoc sidus, quod a figura posituraque ipsa, quia simile plaustri videtur, antiqui Graecorum hamaxan dixerunt, nostri quoque veteres a bubus iunctis "septentriones" appellarunt, id est septem stellas, ex quibus quasi iuncti triones figurantur. 10 Praeter hanc" inquit "opinionem id quoque Varro addit dubitare sese, an propterea magis hae septem stellae "triones" appellatae sint, quia ita sunt sitae, ut ternae stellae proximae quaeque inter sese faciant "trigona", id est triquetras figuratas." 11 Ex his duabus rationibus, quas ille dixit, quod posterius est, subtilius elegantiusque est visum. Intuentibus enim nobis in illud ita propemodum res erat, ut forma esse triquetra videretur.

## V 2 (Bucefal) ☆

*Super equo Alexandri regis, qui Bucephalus appellatus est.* 1 Equus Alexandri regis et capite et nomine "Bucephalus" fuit. 2 Emptum Chares scripsit talentis tredecim et regi Philippo donatum; hoc autem aeris nostri summa est sestertia trecenta duodecim. 3 Super hoc equo dignum memoria visum, quod, ubi ornatus erat armatusque ad proelium, haud umquam inscendi sese ab alio nisi ab rege passus sit. 4 Id etiam de isto equo memoratum est, quod, cum insidens in eo Alexander bello Indico et facinora faciens fortia in hostium cuneum non satis sibi providens inmisisset coniectisque undique in Alexandrum telis vulneribus altis in cervice atque in latere equus perfossus esset, moribundus tamen ac prope iam exsanguis e mediis hostibus regem vivacissimo cursu retulit atque, ubi eum extra tela extulerat, illico concidit et domini iam superstitis securus quasi cum sensus humani solacio animam exspiravit. 5 Tum rex Alexander parta eius belli victoria oppidum in isdem locis condidit idque ob equi honores "Bucephalon" appellavit.


## V 17 (O czarnych dniach w Rzymie) ☆☆

*Quam ob causam dies primi post Kalendas, Nonas, Idus atri habeantur; et cur diem quoque quartum ante Kalendas vel Nonas vel Idus quasi religiosum plerique vitent.* 1 Verrius Flaccus in quarto de verborum significatu dies, qui sunt postridie Kalendas, Nonas, Idus, quos vulgus imperite "nefastos" dicit, propter hanc causam dictos habitosque "atros" esse scribit. 2 "Vrbe"

inquit "a Gallis Senonibus recuperata L. Atilius in senatu verba fecit Q. Sulpicium tribunum militum ad Alliam adversus Gallos pugnaturum rem divinam dimicandi gratia postridie Idus fecisse; tum exercitum populi Romani occidione occisum et post diem tertium eius diei urbem praeter Capitolium captam esse; compluresque alii senatores recordari sese dixerunt, quotiens belli gerendi gratia res divina postridie Kalendas, Nonas, Idus a magistratu populi Romani facta esset, eius belli proximo deinceps proelio rem publicam male gestam esse. Tum senatus eam rem ad pontifices reiecit, ut ipsi, quod videretur, statuerent. Pontifices decreverunt nullum his diebus sacrificium recte futurum." 3 Ante diem quoque quartum Kalendas vel Nonas vel Idus tamquam inominalem diem plerique vitant. 4 Eius observationis an religio ulla sit tradita, quaeri solet. 5 Nihil nos super ea re scriptum invenimus, nisi quod Q. Claudius annalium quinto cladem illam pugnae Cannensis vastissimam factam dicit ante diem quartum Nonas Sextiles.

### XIII 4 (Korespondencja Aleksandra z Olimpias) ☆


*Descripta Alexandri ... I. In plerisque monumentis rerum ab Alexandre gestarum et paulo ante in libro M. Varronis, qui inscriptus est Orestes vel de insania, Olympiadem Philippi uxorem festivissime rescriptsse legimus Alexandre filio. II. Nam cum is ad matrem ita scripsisset: "Rex Alexander Iovis Hammonis filius Olympiadi matri salutem dicit", Olympias ei rescriptsit ad hanc sententiam: "Amabo", inquit "mi fili, quiescas neque deferas me neque criminere adversum Iunonem; malum mihi prorsum illa magnum dabit, cum tu me litteris tuis paelicem esse illi confiteris". III. Ea mulieris scitae atque prudentis erga ferocem filium comitas sensim et comiter admonuisse eum visa est deponendam esse opinionem vanam, quam ille ingentibus victoriis et adulantium blandimentis et rebus supra fidem prosperis inbiberat, genitum esse sese de Iove.*



**CAIUS SALLUSTIUS CRISPUS, *Bellum Catilinae***  
**(86 – 34 B.C.)**



### ŻYWOT KATYLINY, fragmenty (Charakterystyka Katyliny)




L. Catilina, nobili genere natus, fuit magna vi et animi et corporis, sed ingenio malo pravoque. Huic ab adulescentia bella intestina, caedes, rapinae, discordia civilis grata fuere ibique iuventutem suam exercuit. Corpus patiens inediae, algoris, vigiliae supra quam cuiquam credibile est. Animus audax, subdolus, varius, cuius rei lubet simulator ac dissimulator, alieni adpetens, sui profusus, ardens in cupiditatibus; satis eloquentiae, sapientiae parum. Vastus animus inmoderata, incredibilia, nimis alta semper cupiebat. Hunc post dominationem L. Sulla libido maxima invaserat rei publicae capienda. Agitabatur magis magisque in dies animus ferox inopia rei familiaris et conscientia scelerum. Incitabant praeterea corrupti civitatis mores, quos pessima ac divorsa inter se mala, luxuria atque avaritia, vexabant. Iam primum adulescens Catilina multa nefanda stupra fecerat, cum virgine nobili, cum sacerdote Vestae, alia huiuscmodi contra ius


fasque. In tanta tamque corrupta civitate Catilina, id quod factu facillum erat, omnium flagitiorum atque facinorum circum se tamquam stipatorum catervas habebat. Nam quicumque inpudicus, adulter, ganeo, manu, ventre, pene bona patria laceraverat, praeterea omnes undique parricidae, sacrilegi, convicti iudiciis aut pro factis iudicium timentes, postremo omnes, quos flagitium, egestas, conscius animus exagitabat, ii Catilinae proximi familiaresque erant. Quod si quis etiam a culpa vacuu in amicitiam eius inciderat, cotidiano usu atque illecebris facile par similisque ceteris efficiebatur. Sed maxime adulescentium familiaritates adpetebat: eorum animi molles etiam et fluxi dolis haud difficulter capiebantur. Nam ut cuiusque studium ex aetate flagrabat, aliis scorta praebere, aliis canes atque equos mercari; postremo neque sumptui neque modestiae suaे parcere, dum illos obnoxios fidosque sibi faceret.

### **ŻYWOT KATYLINY, 31.7-8 (Reakcja Katyliny na wystąpienie Cicerona) ☆☆☆**

At Catilinae crudelis animus eadem illa movebat, tametsi praesidia parabantur et ipse lege Plautia interrogatus erat ab L. Paulo. Postremo, dissimulandi causa aut sui expurgandi, sicut iurgio lacesitus foret, in senatum venit. Tum M. Tullius consul, sive praesentiam eius timens sive ira commotus, orationem habuit luculentam atque utilem rei publicae, quam postea scriptam edidit. Sed ubi ille adsedit, Catilina, ut erat paratus ad dissimulanda omnia, demisso voltu, voce supplici postulare a patribus coepit, ne quid de se temere crederent: ea familia ortum, ita se ab adulescentia vitam instituisse, ut omnia bona in spe haberet; ne existumarent sibi, patricio homini, cuius ipsius atque maiorum pluruma beneficia in plebem Romanam essent, perdita re publica opus esse, cum eam servaret M. Tullius, inquilinus civis urbis Romae. Ad hoc maledicta alia cum adderet, obstrepere omnes, hostem atque parricidam vocare. Tum ille furibundus: "Quoniam quidem circumventus", inquit, "ab inimicis praeeceps agor, incendium meum ruina restinguam." Deinde se ex curia domum proripuit.



**MARCUS TULLIUS CICERO  
(106 – 43 B.C.)**



### **DE DIVINATIONE 1.27.57 (Dziwny sen) ☆**

Quum duo quidam Arcades familiares iter una facerent et Megaram venissent, alter ad cauponem devertit, ad hospitem alter. Qui ut cenati quieverunt, concubia nocte visus est in somnis ei, qui erat in hospitio ille alter orare, ut subveniret, quod sibi a caupone interitu pararetur. Is primo perterritus somnio surrexit, dein, quum se collegisset idque visum pro nihilo habendum esse duxisset, recubuit. Tum ei dormienti idem ille visus est rogare, ut, quoniam sibi vivo non subvenisset, mortem suam ne inultam pateretur; se interfectum in plastrum a caupone esse


coniectum et supra stercus iniectum; petere, ut mane ad portam adesset, priusquam plaustrum ex oppido exiret. Hoc vero somnio is commotus mane bubulco praesto ad portam fuit. Quaesivit ex eo, quid esset in plaustro. Ille perterritus fugit. Mortuus erutus est. Caupo re patefacta poenas dedit.

### **DE NATURA DEORUM 3.37.89 (o Diagorasie) ☆**

Diagoras, quum Samothracam venisset, Atheos ille, qui dicitur atque ei quidam amicus: „Tu, qui deos putas humana neglegere, nonne animadvertis ex tot tabulis pictis, quam multi votis vim tempestatis effugerint in portumque salvi venerint?” “Ita fit, — inquit, — illi enim nusquam picti sunt, qui naufragia fecerunt in marique perierunt.”

### **TUSCULANAE DISPUTATIONES 5.20.60 (O tyranie Dionizjusz) ☆**

Dionysius, tyrannus Syracusanorum, quum pila ludere vellet (studiose enim id factitabat) tunicamque poneret, adulescentulo, quem amabat, tradidisse gladium dicitur. Hic quum quidam familiaris iocans dixisset: “Huic quidem certe vitam tuam committis” adrisissetque adulescens, utrumque iussit interfici, — alterum, quia viam demonstravisset interimendi sui, alterum, quia dictum id risu approbavisset. Atque eo facto sic doluit, nihil ut tulerit gravius in vita; quem enim vehementer amarat, occiderat.





**LUCIUS ANNAEUS SENECA  
(c. 4 B.C. – A.D. 65)**

EPISTULAE MORALES AD LUCILLIUM


**59, 12 (Aleksander wyznaje, że jest człowiekiem) ☆**

Alexander, quum in India vagaretur et gentes, ne finitimis quidem satis notas, bello vastaret, in obsidione ciusdam urbis, dum circumit muris, sagitta ictus diu persedere et incepta agere perseveravit. Deinde, quum represso sanguine siccii vulneris dolor cresceret, coactus absistere. "Omnes, — inquit, — iurant esse me Iovis filium, sed vulnus hoc hominem esse me clamat."

DE BENEFICIIS

**5.24.1-3 (Uznanie dla zasług wojskowych Cezara) ☆☆☆☆**

Causam dicebat apud divum Iulium ex veteranis quidam paulo violentior adversus vicinos suos et causa premebatur. "Meministi" inquit, "imperator, in Hispania talum extorsisse te circa Sucronem?" Cum Caesar meminisse se dixisset: "Meministi quidem sub quadam arbore minimum umbrae spargente cum velles residere ferventissimo sole et esset asperimus locus, in quo ex rupibus acutis unica illa arbor eruperat, quendam ex commilitonibus paenulam suam substravisse?" Cum dixisset Caesar: "Quidni meminerim? et quidem siti confectus, quia impeditus ire ad fontem proximum non poteram, repere manibus volebam, nisi commilito, homo fortis ac strenuus, aquam mihi in galea sua adtulisset", "Potes ergo" inquit, "imperator, adgnoscere illum hominem aut illam galeam?" Caesar ait se non posse galeam adgnoscere, hominem pulchre posse, et adiecit, puto obiratus, quod se a cognitione media ad veterem fabulam abduceret: "Tu utique ille non es." "Merito" inquit, "Caesar, me non adgnoscis; nam cum hoc factum est, integer eram; postea ad Mundam in acie oculus mihi effossus est et in capite lecta ossa. Nec galeam illam, si videris, adgnosces; machaera enim Hispana divisa est." Vetuit illi exhiberi negotium Caesar et agellos, in quibus vicinalis via causa rixae ac litium fuerat, militi suo donavit.



## ACUTE DICTA



1. Samniorum legati auxilium orantes longa oratione usi erant. Responderunt Lacedaemonii: “Prima sumus oblii, postrema non intelleximus, quia prima non meminimus.”
2. Demonax, quum videret quandam veste magnifica gloriantem prehensa veste “Atqui, — inquit, — hac ante te ovis gestabat, et tamen ovis erat.”
3. Apelles, pictor illius temporis clarissimus, Alexandrum pinxerat vehentem equo. Quam imginem ille contemplatus minus laudavit, quam par esset. Quum autem equus adductus picto equo adhinniret, quasi verus esset, Apelles: “Equus tuus, — inquit, — rex, pingendi peritior, quam tu, esse videtur.”
4. Eleganter Alexandro illi Magno quidam comprehensus pirata respondit. Nam, quum ille hominem interrogasset, quo iure maria infesta redderet, ille: “Eodem, — inquit, — quo tu orbem terrarum. Sed, quia id ego exiguo navigio facio, latro vocor; tu, quia magna classe et exercitu, imperator.” (*Augustinus, Civ. 4.4*)
5. Praeclare Anaxagoras, qui, quum Lampsaci moreretur, quaerentibus amicis, velletne Clazomenas in patriam, sii quid accidisset, auferri, “Nihil necesse est, — inquit, — undique enim ad inferos tantundem viae est.”
6. Diogenes Cynicus proici se iussit inhumatum. Tu amici: “Volucribusque et feris?” “Minime vero, — inquit, — sed bacillum propter me, quo adigam, ponitote.” “Qui poteris? — illi — Non enim senties.” “Quid igitur mihi ferarum laniatus oberit nihil sentienti?” (*Cic. Tusc. 1.43.104*)
7. Alexander, Macedonum rex, quum consulto oraculo monitus esset, ut eum, qui sibi porta egresso primus occurrisset, interfici iuberet, asinarium forte sibi ante omnes obviam factum ad mortem abripi imperavit. Quaerente eo, cur se innocentem capitali supplicio afficeret, ad excusandum factum suum oraculi praeceptum rettulit. Tum asinarius: “Si ita est, — inquit, — rex, alium deus huic morti destinavit: nam asellus, quem ego ante me agebam, prior tibi occurrit.” Delectatus Alexander et illius tam callido dicto, et quod ab errore ipse revocatus est, asinum pro homine occidit. (*Val. Max. 7.3*)

8. Quum, parta Actiaca victoria, Romam reverteretur Augustus, occurrit ei inter gratulantes opifex quidam corvum tenens, quem instituerat haec dicere: "Ave, Caesar, vicit imperator!" Miratus caesar officiosam avem viginti milibus nummorum emit. Socius opificis, ad quem nihil ex illa liberalitate pervenerat, affirmavit caesari habere illum et alium corvum, quem ut afferre cogeretur, rogavit. Allatus verba, quae didicerat, expressit: "Ave, vicit imperator Antonii!" Nihil propterea exspectatus Augustus satis duxit iubere corvorum doctorem dividere acceptum munus cum contubernali. Salutatus similiter et a psittaco et a pica eos quoque emi iussit. Exemplum sutorem pauperem sollicitavit, ut corvum institueret ad parem salutationem, sed, quum haud multum proficeret, saepe ad avem nonrespondentem dicere solebat: "Opera et impensa perii." Aliquando tamen corvus coepit dicere dictatam salutationem. Hac, dum transit, audita, respondit Augustus: "Satis domi salutatorum talium habeo." Superfuit corvo memoria, ut et illa, quibus dominum querentem solebat audire, subtexeret: "Opera et impensa perii." Ad quod caesar risit emique avam iussit, quanti nullam adhuc emerat. (Macrobius. *Sat.* 2.4.29)

**BEDA VENERABILIS**  
**(c. 672-735 A.D.)**



**HISTORIA ECCLESIASTICA GENTIS ANGLORUM II 1**

**(Anglici czy Aniołowie?)** ☆☆☆

Nec silentio praetereunda opinio, quae de beato Gregorio traditione maiorum ad nos usque perlata est: qua videlicet ex causa admonitus tam sedulam erga salutem nostrae gentis curam gesserit. Dicunt, quia die quadam, cum, advenientibus nuper mercatoribus, multa venalia in forum fuissent conlata, multi ad emendum confluxissent, et ipsum Gregorium inter alios advenisse ac vidisse inter alia pueros venales positos candidi corpore ac venusti vultus, capillorum quoque forma egregia. Quos cum aspiceret, interrogavit, ut aiunt, de qua regione vel terra essent adlati. Dictumque est, quia de Britannia insula, cuius incolae talis essent aspectus. Rursus interrogavit, utrum idem insulani Christiani, an paganis adhuc erroribus essent implicati. Dictum est, quod essent pagani. At ille intimo ex corde longa trahens suspiria: "Heu, pro dolor!" — inquit — Quod tam lucidi vultus homines tenebrarum auctor opssidet tanta que gratia frontispicii mentem ab interna gratia vacuam gestat!" Rursus ergo interrogavit, quod esset vocabulum gentis illius. Responsum est, quod Angli vocarentur. At ille: "Bene, - inquit, — nam et angelicam habent faciem et tales angelorum in caelis decet esse coheredes."

**ANONYMUS  
(XIII A.D.)**

**DE ORTU WALUVANII NEPOTIS ARTURI (Tajemna miłość)☆☆☆**

Uterpendragon rex, pater Arturi, omnium Britannie confinium provinciarum sue dicioni reges subegerat tributariosque efficiens eorum filios partim loco obsidum, partim honestate morum militarique erudiendos disciplina sua in curia detinebat. Inter quos Loth, nepos Sichelini regis Norwegie educabatur, adolescens mirandus aspectu, robore corporis animique virtute preditus, unde et regi Uthero eiusque filio Arturo, ceteris suis coetaneis, karior habitus ipsius secreta cubiculi continue frequentabat. Erat autem regi filia Anna dicta incomparabilis pulcritudinis, que cum matre regina in thalamo morabatur. Cum qua dum predictus adolescens sepe iuvenaliter luderet et iocosa secretius verba consereret, utrique alterutro capiuntur amore. Alterni tamen affectus diu ab invicem cum timore tum pudore dissimulati sunt. verum quia ad instar flamme amor, quo magis tegitur, eo magis accenditur indeque capit augmentum, unde minui festinatur, magnitudinem tandem amoris in se continere non valentes, que mente conceperant, mutuo patefaciunt. Sui igitur voti compotes effecti assensum voluptati adhibent statimque illa impregnata intumuit.



**PUBLIUS ANNIUS FLORUS  
(II A.D.)**

**EPITOME DE T. LIVIO BELLORUM OMNIUM ANNORUM DCC LIBRI DUO  
II 8 (Powstanie Spartakusa 73-71 a.Ch.n.)☆☆☆**

Spartacus Thrax, Crixus Celta et Oenomaus effracto P. Lentuli ludo gladiatorio cum XXX eiusdem fortunae viris eruperunt Capuam. Servis ad vexillum vocatis turbam decem milia hominum complectentem coegerunt. Qui fuga non contenti etiam libertatem armis assequi cupiebant. Prima sedes, velut beluis, mons Vesuvius placuit. Ibi quum obsiderentur a C. Glabro, per fauces cavi montis vimineis delapsi vinculis ad imas eius radices degressi sunt et exitu inviso nihil tale opinatis ducis subito impetu castra ceperunt. Deinde totam Campaniam pervagantur. Nec villarum atque vicorum vastatione contenti Nolam atque Nuceriam, Thurios atque Metapontum terribili strage populantur.

Affluentibus in dies copiis, e viminibus pecudumque tegumentis inconditos sibi clipeos, ex ferro ergastulorum recocto gladios ac tela fecerunt. Ac ne quod decus iusto decesset exercitui domitis obviis etiam gregibus parantur equitatus captaque de praetoribus insignia fascesque ad ducem deportantur. Nec abnuit Spartacus; quin defunctorum quoque proelio ducum funera celebravit imperatorum exequiis captivosque circa rogum iussit armis depugnare.

Inde iam consularem quoque aggressus in Apennino Lentuli exercitum cecidit apud, Mutinam Pubpii Casii castra delevit. Quas victorias quum reportavisset, iam Romam ipsam aggredi meditabatur. Tandem a Licinio Crasso pulsi fugatique hostes in extrema Italiae refugerunt. Ibi

circa Brutium angulum clausi, quum fugam in Siciliam pararent neque navigia suppeterent ratesque ex trabibus et dolia conexa virgultis frustra experientur, tandem eruptione facta digna viris morte ceciderunt; quod sub gladiatore duce oportuit, sine missione pugnatum est. . Spartacus ipse in primo agmine fortissime dimicans quasi imperator occisus est.




**PUBLIUS CORNELIUS NEPOS**  
**(c. 100 – 24 B.C.)**

**LIBER DE EXCELLENTIBUS DVCIBUS EXTERARVM GENTIVM**

**HANNIBAL 12 (Śmierć Hannibala)** ☆☆☆


Quae dum in Asia geruntur, accidit casu, ut legati Prusiae Romae apud T. Quintium Flamininum consularem cenarent atque ibi de Hannibale mentione facta ex his unus diceret eum in Prusiae regno esse. 2 Id postero die Flamininus senatui detulit. Patres conscripti, qui Hannibale vivo numquam se sine insidiis futuros existimarent, legatos in Bithyniam miserunt, in his Flamininum, qui ab rege peterent, ne inimicissimum suum secum haberet sibique dederet. 3 His Prusia negare ausus non est: illud recusavit, ne id a se fieri postularent, quod adversus ius hospitii esset: ipsi, si possent, comprehendenderent; locum, ubi esset, facile inventuros. Hannibal enim uno loco se tenebat, in castello, quod ei a rege datum erat muneri, idque sic aedificarat, ut in omnibus partibus aedificii exitus haberet, scilicet verens, ne usu veniret, quod accidit. 4 Huc cum legati Romanorum venissent ac multitudine domum eius circumdedissent, puer ab ianua prospiciens Hannibali dixit plures praeter consuetudinem armatos apparere. Qui imperavit ei, ut omnes fores aedificii circumiret ac propere sibi nuntiaret, num eodem modo undique obsideretur. 5 Puer cum celeriter, quid esset, renuntiasset omnisque exitus occupatos ostendisset, sensit id non fortuito factum, sed se peti neque sibi diutius vitam esse retinendam. Quam ne alieno arbitrio dimitteret, memor pristinarum virtutum venenum, quod semper secum habere consuerat, sumpsit.



**CAIUS IULIUS CAESAR**  
**(100 – 44 B.C.)**

**COMMENTARII DE BELLO GALLICO**

**5.12-14 (Opis Brytanii)** ☆☆☆



Britanniae pars interior ab eis incolitur quos natos in insula ipsi memoria proditum dicunt, maritima ab eis, qui praedae ac belli inferendi causa ex Belgio transierunt (qui omnes fere eis nominibus civitatum appellantur, quibus orti ex civitatibus eo pervenerunt) et bello illato ibi permanerunt atque agros colere coeperunt. Hominum est infinita multitudo creberrimaque aedicia fere Gallicis consimilia, pecorum magnus numerus. Vtuntur aut aere aut nummo aureo aut taleis ferreis ad certum pondus examinatis pro nummo. Nascitur ibi plumbum album in

mediterraneis regionibus, in maritimis ferrum, sed eius exigua est copia; aere utuntur importato. Materia cuiusque generis ut in Gallia est, praeter fagum atque abietem. Leporem et gallinam et anserem gustare fas non putant; haec tamen alunt animi voluptatisque causa. Loca sunt temperatiora quam in Gallia, remissioribus frigoribus.

Insula natura triquetra, cuius unum latus est contra Galliam. Huius lateris alter angulus, qui est ad Cantium, quo fere omnes ex Gallia naves appelluntur, ad orientem solem, inferior ad meridiem spectat. Hoc pertinet circiter milia passuum quingenta. Alterum vergit ad Hispaniam atque occidentem solem; qua ex parte est Hibernia, dimidio minor, ut aestimatur, quam Britannia, sed pari spatio transmissus atque ex Gallia est in Britanniam. In hoc medio cursu est insula, quae appellatur Mona: complures praeterea minores subiectae insulae existimantur, de quibus insulis nonnulli scripserunt dies continuos triginta sub bruma esse noctem. Nos nihil de eo percontationibus reperiebamus, nisi certis ex aqua mensuris breviores esse quam in continenti noctes videbamus. Huius est longitudo lateris, ut fert illorum opinio, septingentorum milium. Tertium est contra septentriones; cui parti nulla est obiecta terra, sed eius angulus lateris maxime ad Germaniam spectat. Hoc milia passuum octingenta in longitudinem esse existimatur. Ita omnis insula est in circuitu vicies centum milium passuum.

Ex his omnibus longe sunt humanissimi qui Cantium incolunt, quae regio est maritima omnis, neque multum a Gallica differunt consuetudine. Interiores plerique frumenta non serunt, sed lacte et carne vivunt pellibusque sunt vestiti. Omnes vero se Britanni vitro inficiunt, quod caeruleum efficit colorem, atque hoc horridiores sunt in pugna aspectu; capilloque sunt promisso atque omni parte corporis rasa praeter caput et labrum superius. Vxores habent deni duodenique inter se communes et maxime fratres cum fratribus parentesque cum liberis; sed qui sunt ex his nati, eorum habentur liberi, quo primum virgo quaeque deducta est.

#### 4.9 (na mowę zależną) ☆☆☆

Legati haec se ad suos relatuos dixerunt et re deliberata post diem tertium ad Caesarem reversuros: interea ne propius se castra moveret, petierunt. Ne id quidem Caesar ab se impetrari posse dixit. Cognoverat enim magnam partem equitatus ab iis aliquot diebus ante praedandi frumentandi causa ad Ambivaritos trans Mosam missam: hos expectari equites atque eius rei causa moram interponi arbitrabatur.

#### DE BELLO CIVILI

##### 3.102-104 (Śmierć Pompejusza) ☆☆☆☆

Caesar omnibus rebus relictis persequendum sibi Pompeium existimavit, quascumque in partes se ex fuga recepisset, ne rursus copias comparare alias et bellum renovare posset, et quantumcumque itineris equitatu efficere poterat, cotidie progrediebatur legionemque unam

minoribus itineribus subsequi iussit. Erat edictum Pompei nomine Amphipoli propositum, ut omnes eius provinciae iuniores, Graeci civesque Romani, iurandi causa convenienterent. Sed utrum avertendae suspicionis causa Pompeius proposisset, ut quam diutissime longioris fugae consilium occultaret, an ut novis dilectibus, si nemo premeret, Macedoniam tenere conaretur, existimari non poterat. Ipse ad ancoram unam noctem constitit et vocatis ad se Amphipoli hospitibus et pecunia ad necessarios sumptus corrogata, cognito Caesaris adventu, ex eo loco discessit et Mytilenas paucis diebus venit. Biduum tempestate retentus navibusque aliis additis actuariis in Ciliciam atque inde Cyprum pervenit. Ibi cognoscit consensu omnium Antiochensium civiumque Romanorum, qui illic negotiarentur, arma capta esse excludendi sui causa nuntiosque dimisso ad eos, qui se ex fuga in finitimas civitates recepisse dicerentur, ne Antiochiam adirent: id si fecissent, magno eorum capitinis periculo futurum. Idem hoc L. Lentulo, qui superiore anno consul fuerat, et P. Lentulo consulari ac nonnullis aliis acciderat Rhodi; qui cum ex fuga Pompeium sequerentur atque in insulam venissent, oppido ac portu recepti non erant missisque ad eos nuntiis, ut ex his locis discederent contra voluntatem suam naves solverant. Iamque de Caesaris adventu fama ad civitates perferebatur.

Quibus cognitis rebus Pompeius deposito adeundae Syriae consilio pecunia societatis sublata et a quibusdam privatis sumpta et aeris magno pondere ad militarem usum in naves imposito duobusque milibus hominum armatis, partim quos ex familiis societatum delegerat, partim a negotiatoribus coegerat, quosque ex suis quisque ad hanc rem idoneos existimabat, Pelusium pervenit. Ibi casu rex erat Ptolomaeus, puer aetate, magnis copiis cum sorore Cleopatra bellum gerens, quam paucis ante mensibus per suos propinquos atque amicos regno expulerat; castraque Cleopatrae non longo spatio ab eius castris distabant. Ad eum Pompeius misit, ut pro hospitio atque amicitia patris Alexandria reciperetur atque illius opibus in calamitate tegeretur. Sed qui ab eo missi erant, confecto legationis officio liberius cum militibus regis colloqui cooperunt eosque hortari, ut suum officium Pompeio praestarent, neve eius fortunam despicerent. In hoc erant numero complures Pompei milites, quos ex eius exercitu acceptos in Syria Gabinius Alexandriam traduxerat belloque confecto apud Ptolomaeum, patrem pueri, reliquerat.

His tum cognitis rebus amici regis, qui propter aetatem eius in procuratione erant regni, sive timore adducti, ut postea praedicabant, sollicitato exercitu regio ne Pompeius Alexandriam Aegyptumque occuparet, sive despecta eius fortuna, ut plerumque in calamitate ex amicis inimici existunt, his, qui erant ab eo missi, palam liberaliter responderunt eumque ad regem venire iusserunt; ipsi clam consilio inito Achillam, praefectum regium, singulari hominem audacia, et L. Septinium, tribunum militum, ad interficiendum Pompeium miserunt. Ab his liberaliter ipse appellatus et quadam notitia Septimii productus, quod bello praedonum apud eum ordinem duxerat, naviculam parvulam concendit cum paucis suis: ibi ab Achilla et Septimio interficitur. Item L. Lentulus comprehenditur ab rege et in custodia necatur.